



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •





z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.





46  
COLLEGII TERTII  
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XIII.

continens

ΘΕΣΙΝ ΑΡΤΙCΥΛΙ VII.

De

DEFINITIONE ET  
NOTIS VERÆ ECCLESIAE,

*Proposita*

In Electorali Academia VVittebergenlis,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

JACOBO TEUCHERO Prettinensi Sax.

Alumno Electorali,

*In Auditorio Collegii Veteris*

*Ad diem 20. Junii.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.



COLLEGII TERTII  
In Augustana Confessionem

DEFINITIONE ET  
NOTIS VERAE ECCLESIAE

JACOBO MARTINI S. Th.

Doc. & Prof. Publ. P. Th. in Facult. Theol.

JACOBO TERTIO

ANNO M DC LXX







D. O. M. A.

*Continuatio.*

**U**oniam vix ullus hominum cætus reperitur, quin nomen dignitatemque Ecclesiæ sibi vendicet, explicatione dignissimum summeque necessarium iudicavit Homologesis nostra, quid sit Ecclesia, definire; simulque notas infallibiles, quibus vera Ecclesia à falsis distinguitur, subicere: quorum illud secundo, hæc tertio, ut diximus, huius articuli membro continentur. De utroque hac disputatione agemus.

T H E S E S

I. **D**efinitionem itaque confessio nostra suo more suoque jure brevitati studiosa, ejusmodi proponit: *Ecclesia est congregatio sanctorum, in qua Evangelium rectè docetur & sacramenta rectè administrantur.*

II. Constat Definitio hæc Genere & Differentia. Genus voce *congregationis* exprimitur, quæ ἑκκλησία est. Dicit n. Servator, Matth. 18. v. 20. *Ubi duo aut tres fuerint congregati in nomine meo, ibi medius ipsorum ero.* Psal. 22. v. 23. *In medio congregationis laudabo te.* Deut. 33. v. 4. *Legem præcepit nobis Dominus hereditatem congregationi Jacob.*

III. Complectitur autem suo significatu & actum congregationis & congregatos ipsos. Actum notat propter jus Ecclesiæ, & præsupponit agentem & modum actionis.

IV. Agens est ipsa causa efficiens, nempe collector, qui est Deus Pater, in Filio per Spiritum sanctum. Causæ hujus una

A 2

&



& communis est operatio respectu essentiae: Distinctus verò operandi modus, personarum respectu.

V. Collector autem hic exit summo diluculo ad conducendos operarios in vineam suam, Matth. 20. v. 1. Ipse misit servos suos, ut vocarent invitatos ad coenam, per filium suum toti mundo paratam, Luc. 14. v. 17. Ipse Deus reconciliavit nos sibi per Jesum Christum & dedit nobis ministerium reconciliationis, 2. Cor. 5. v. 18.

VI. Omnis autem efficiens in finem dirigit actionem suam, qui hic est *gloria Dei*, à quo, per quem & propter quem haec omnia, Rom. 11. v. 36. Neque enim Deus extra se aliquid intuetur, unde moveatur: quomodo aliàs communiter finis movet efficientem. Qui salutem Ecclesiae pro fine afferunt, cum fine formam, cum externo principio internum, confundunt. Omnino enim salus ad formam potius filiorum Dei pertinere videtur.

VII. Agentis porro actio propter finem suscepta perficitur, formam in materiam inducendo. Requiritur ergo & Materia & Forma.

IX. Materia Ecclesiae, communiter & latissime sumpta, est *creatura intelligens*: cujusmodi est genus Angelorum & Hominum. Quandoquidem ut nulla alia res est ad imaginem Dei condita, ita nec tantae dignitatis subjectum *δεκτικόν* esse potest. Verum quia hic tantum de Militante agimus Ecclesia, ejus materia & subjectum tantum homines, hisce in terris viventes, constituendi sunt.

IX. Forma continet modum actionis, qui spectatur in vocatione, quae Ministerium verbi, quo fit vocatio, praesupponit: Ecclesia enim Dei vera extra numerum vocatorum nulla est.

X. Ceterum vox *Congregationis*, congregatos ipsos potissimum & quidem hoc loco significat, non quod necessarii sint etiam conventus piorum in Ecclesia: sed quia Ecclesiastici catus non semper & jugiter habentur. Non enim id humanae infirmitatis ratio patitur: quandoque prohibet etiam tyranno-

ranno-



rannorum persecutio. Nec tamen definit Ecclesia esse quod est, nempe fidelium congregatio; stante nimirum non externa corporum; sed spirituali animorum conjunctione, ex jure *κοινωνίας*: quod fides in symbolo profiteri solet. Unde vel apertè, vel gemitibus duntaxat cum externo cætu Deum rectè invocant ium pii se conjungunt, cum Davide dicentes, Psal. 26. v. 8. *Jehova dilexi habitaculum domus tue & locum tabernaculi glorie tue.* Item, Psal. 27. v. 4. *Unum petii à Jehova, hoc requiram, ut habitem in domo Jehove omnibus diebus vite mee, ut videam pulchritudinem Jehove & queram in templo ejus.* Et Psal. 84. v. 2. *Quàm amabilia tabernacula tua, Jehova exercituum. Concupiscit & deficit anima mea ad atria Jehove &c.* Hactenus de genere.

XI. Differentia porro duplex additur: Una à qualitate; altera à doctrina. Prior continetur voce *sanctorum*. Dicitur enim Ecclesia esse *sanctorum congregatio*. Est enim & malignantium Ecclesia, Psal. 26. v. 5. Sanctus autem sive sanctimonia in præcedente disputatione duplex est exposita: aliena una, nempe imputata & communicata à Christo, qui piis ac fidelibus à Deo factus est sanctificatio, 1. Cor. 1. v. 30. altera propria, Luc. 1. v. 75. quarum illa perfecta, hæc inchoata appellari consuevit: illa quidem hoc loco *πρώτως καὶ κρείων*; hæc verò *δευτέρως καὶ ἐπομύτως* intelligitur.

XII. Non autem hæc definitionis pars excludit malorum permissionem in Ecclesia (uti quidem Pontificii hoc nomine nostram confessionem vellicant) sed id, quod essentia proprium, solum exprimit. Veræ autem Ecclesie visibili, qualis hic definitur, non à tota promiscua congerie, sed à potiori & essentiam constituyente parte, simul etiam à fine & scopo competit, ut sanctorum dicatur congregatio: quæ quamvis mixta sit etiam improbis tamen Ecclesia non dicitur nisi propter sanctos ac fideles, cum illa improborum mixtio non sit de essentia, sed accidat Ecclesie.

XIII. Nullo modo igitur probamus, sed simpliciter damnamus Anabaptistarum hæresin, quæ sanctos & inculpato tantum Ecclesie cives recipit, orthodoxè cum Chrysologo dicentes & statuentes, quod & hæc cum Hierosolymitanis habi-



et Jebusæus, hic in horto patrisfamilias simul sint salivæ & abies, urtica & myrtus, in grege Jacobi animalia alba & nigra, agni & hædi, in reti Petri pilces boni & mali, in agro Domini lilia inter spinas, zizania inter spicas, in area Domini granum cum palea, in cella Christi vinum cum agresta, oleum cum amurca.

XIV. Posterior differentia exprimitur his verbis: *ut rectè in ea doceatur Evangelium & rectè administrantur Sacramenta*: Quod adeò proprium est Ecclesiæ, ut sine illo sit nulla. Notanda autem est Emphatica particula RECTE. Non enim satis est, in ea docere Evangelium & administrare Sacramenta, sed oportet ut utrunque RECTE fiat. Illud enim præstare etiam potest falsa Ecclesia: hoc verò tantum ad veram Ecclesiam requiritur. Quandoquidem falsa quit esse Ecclesia sic à corruptelâ verbi & sacramentorum appellata; quæ tamen bonum habeat Evangelium & vera Sacramenta: Hæc autem bona non nisi vera Ecclesia rectè tractat.

XV. Quare nequissimè errant nostri Jebusitæ, qui in verbis Pontificis non Dei quærunt Ecclesiam & ultimam Ecclesiæ differentiam: imò formam ejus substantialem vocant Romanum Pontificem: neque ex doctrina Ecclesiam: sed ex Ecclesia doctrinam metiendam existimant. Hactenus secundum hujus articuli membrum.

XVI. Tertium nunc sequitur ex præcedente secundo emergens, quod *ἡ ἑκκλησία* Ecclesiæ continet. Quo loco tria notanda sunt: 1. *non de Ecclesia simpliciter sic dicta questionem esse, sed de vera Ecclesia.* Quapropter differunt plurimum Ecclesiam esse (quod cum vitio potest esse conjunctum) & esse veram Ecclesiam, uti Christus ipse inter discipulos & verè discipulos accuratè distinxit, Joh. 8. v. 31. Ecclesiam simpliciter sicut facit, sic monstrat quoque solus verbi & Sacramentorum usus; & sic quidem monstrat ut quamvis sit falsa Ecclesia, aliquos tamen in eo cætu electos esse, minimè dubitandum sit. Ad veritatem Ecclesiæ probandam ac demonstrandam majus quid requiritur.

XVII. Alterum quod hic notatu dignum & præmittendum



dum est, 1. r. *questionem volvi de Indicio sive notis membrorum Ecclesie singulorum: sed de totius Ecclesie characteribus.* De Individuis iudicandis notas scriptura annotat diversas: *In hoc cognoscent omnes, vos esse discipulos meos, si dilectionem mutuam habueritis,* Joh. 13. v. 35. Confessio oris characteristica esse justitiæ & pietatis nota dicitur, Rom. 10. v. 10. Alibi aliæ notæ expressæ leguntur: in quarum tamen plerarumq; omnium indicio facilis est error: quod mens humana ad interiora pectorum alienorum non penetrat & Dei benignitas atque misericordia in tolerandis infirmitatibus & nævis suorum admiranda sit, suisque limitibus & terminis nobis non satis perspecta aut patefacta. Adde quod etiam imagines rerum facile nobis possint imponere.

XIIX. Tertium ex præcedente secundo fluit, *non hic queri de Ecclesia Electorum, quatenus talium, hoc est, de ipsis Electis, quibus nimirum notis illi à reliquis Ecclesie membris sint distinguendi.* Quandoquidem illorum notitia distincta in hominum aspectum & *κρίσις* minimè cadit: cum solus Deus sit qui novit suos, 1. Tim. 2. v. 19. quandoque hi invisibiliter constituent Ecclesiam. Cerrum quidem est ac indubitatum, esse in Ecclesia aliquos Electos, vereque fideles: atque in quibus pro tempore vera fides sit & præsens Spiritus sancti gratia, saltem confusa aliqua notitia haud obscure colligitur. Quia verò fides in multis est *ωφέλιμος*, gratiaque Spiritus sancti non in hominibus est bonum *ἀνεπιβεβητόν*; imò quia multiplices sunt humanorum cordium recessus; ideo à priori & quoad certitudinem & scientiam distinctam nihil de hoc *ἐπιμαρτυρησάτω* statui potest.

XIX. Quæstio ergò propriè est *de cætu Ecclesie universo, in quo vel magnam vel aliquam saltem piè fidelium & salvandorum partem sibi colligit: quisnam cætus pro vera Ecclesia agnosci & haberi debeat & ex quibus notis & quidem infallibilibus dijudicari possit.*

XX. Uta nota aliqua sit infallibilis, sit characteristica, sit vera, propria ac certa, duo potissimè *ἀποκριπλά* habeat necesse est 1. ut sit notior ea re, quam notare debet. 2. ut eam certè ac infallibiliter ostēdat: id quod fit tū demū, si 1. rei notandæ soli ac semper cōperat. 2. si eandē à reb. omnib. alijs discernat. 3. si ejusdē cū ea sit latitudinis. 4. si à re notanda planè sit inseparabilis.

21. Qui-



XXI. Quibus observatis, veræ Ecclesiæ *ἡ ἀληθινή*  
ex Actis cap. 2. vers. 42. colligimus 1. Doctrinam Apostolo-  
rum. 2. *κοινωνίαν* fractionis panis. 3. Orationem. Quoniam  
verò tertium sub primo comprehendi potest, Augustana nostra  
Confessio duo tantum nominat genuina ac propria ex gemino  
illo constituendæ Ecclesiæ principio petita: 1. *Puritatem doctri-  
næ cælestis*; 2. *Legitimum Sacramentorum usum*. Ad quæ etiam  
obligamur, Esa. 8. v. 20. Luc. 10. v. 16. Matth. 28. v. 19. Quamvis  
aliqui addant tertiam notam, obedientiam ministerio debi-  
tam ex cap. 13. ad Hebr. quam ad primam quoque revocamus.

XXII. Priorem notam ipse Christus expressit, Joh. 10.  
v. 16. *Oves meæ vocem meam audiunt*. Vox verò Christi nihil aliud  
esse potest, quam pura Evangelii doctrina & verbum ipsum  
veritatis. Item Joh. 8. v. 31. *Si manseritis in sermone meo, verè di-  
scipuli mei estis*. Item, *vos mundi estis propter sermonem meum, quem  
locutus sum vobis*, Joh. 15. v. 3. Esa. 8. v. 20. *Ad legem & ad testimo-  
nium, si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux*.

XXIII. Hanc notam quoque primitiva Ecclesia veram  
& certam habuit. Nam ad quæstionem: *Ubi querenda sit Eccle-  
sia ipsa?* respondet Chrysostomus in Matth. cap. 24. *Cum videritis  
hæresin impiam, stantem in locis sanctis Ecclesiæ, tunc qui in Judæa  
sunt, fugiant ad montes, id est, qui sunt in Christianitate, conferant se  
ad scripturas. Quia ex quo obtinuit hæresis Ecclesiæ, nulla probatio  
potest esse veræ Christianitatis, neq; confugium Christianorum aliud,  
volentium cognoscere fidei veritatem, nisi scripturæ divinæ*.

XXIV. Hujus porro sententiæ praxin monstrat Augu-  
stinus in suorum temporum historia, utpote in Ep. contr. Ep.  
Petilian. cap. 4. Et de Ecclesiæ unitate cap. 2. *Inter nos & Dona-  
ristas quæstio est, Ubi sit Ecclesia? Quid ergo facturi sumus? In ver-  
bis nostris eam quæsituri sumus, an in verbis capituli sui, Domini nostri  
Jesu Christi? Puto quod in illius potius verbis querere debeamus, qui  
est veritas & optimè novit corpus suum*. Idem de Unitate Ecclesiæ  
cap. 16. *Ecclesiam in scripturis sanctis Canonicis debemus agnoscere,  
non in variis hominum rumoribus & opinionibus & factis & dictis &  
visis inquirere*. Idem Epist. 166. *In scripturis didicimus Christum, in  
scri-*



*Scripturis didicimus Ecclesiam; has scripturas communiter habemus.  
Quare non in eis & Christum & Ecclesiam communiter retineamus?*

XXV. Caterum in sincera prædicatione verbi distinguendum est id, quod est Dei, ab eo, quod est hominum. Verbum simpliciter divinum est, absolutam Dei veritatem continens: Proindeque id simpliciter Ecclesiæ est necessarium, neque ullo tempore aut modo ab ea separari potest. Prædicatio verbi actus est humanus. Sinceritas vero modus hujus actus, nempe prædicationis ac professionis. Quæ duo inesse quidem debent Ecclesiæ de jure: sunt namque conditiones à Deo imperatæ: at non semper insunt de facto: neque tamen propterea interit Ecclesia, nempe ut non perit actus primus, cum cessat operatio sive actus secundus.

XXVI. Sinceritatis, quæ in prædicatione ac professione requiritur, varii sunt gradus, tam in doctoribus & pastoribus, quam in auditoribus & ovibus: nimirum secundum mensuram donationis Christi, Deo & virtutem suam per infirmitatem hominum perficiente & suam veritatem in eorundem erroribus conservante, Ephes. 4. v. 7. 2. Cor. 12. v. 9.

XXVII. Prius nempe *Verbum Dei*, Ecclesiam constituit & cum ea semper est conjunctum: posteriora, *prædicatio & sinceritas*, Ecclesiam non constituunt, sed tantum ostendunt. Atque prout tres illæ hujus prioris nota conditiones magis minusve illustres sunt & conspicuæ; hoc magis minusve pura est Ecclesia, quæ notatur.

XXVIII. Alteram Ecclesiæ notam diximus *Sacramenta legitime administrata*. Hæc enim cum sint non tantum verbi *σφραγίδες* & signacula, Rom. 4. v. 11. Sed ipsius etiam Ecclesiæ quasi tessera: certè vel hac ratione constat, ea à notis Ecclesiæ characteristicis nullo modo excludi posse vel debere.

XXIX. Legitimus Sacramentorum usus est: qui ad legem seu normam Dei instituentis conformatur. Hic verò usus constat externa actione divinitus definita, verbo DEI inclusa & versante circa Elementa certa & denominata, hominibusque juxta DEI verbum applicata.

B

30. Quæ.



XXX. Quæritur hic, num Baptismus in Papatu manserit legitimus, cum multis fuerit defædatus idololatricis rebus & ritibus? Et simplex est responsio, quia substantialia, constituentia integrum baptismum, manserunt integra, nimirum baptismationis infusione aquæ sive immersione in illâ in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, legitimum usum constituisse, etsi aliàs depravatum multis accessoriis, à quibus S.S. Trinitatem abhorruisse non est dubium, & tamen ordinationem suam non deseruisse rectè statuitur.

XXXI. Sacramentum verò cœnæ quod attinet, illud non est Sacramentum in missa privata Pontificia, neque Laicis relinquitur integrum, adempto usu poculi: neq; desinimus miserationem Domini prædicare, qui Sacramentum ingressus in Ecclesiâ in substantialibus integrum & ita sub medio Papatu Ecclesiam servaverit. Ea autem, quæ propter servatos in Papatu & in mediis tenebris post exortam lucem, ad collusiones cum impietate AntiChristi palliandas, Hypocrytæ & securi comminiscuntur, tutius rejiciuntur per Exite Paulinum, quàm ut curiosè tractentur: *Nunc cum sitis lux in Domino* (inquit Apostolus Eph. 5.) *ut filii lucis ambulate, probantes, quid sit acceptum Domino, & non commercium habete cum operibus infrugiferis tenebrarum, sed ea arguite.*

XXXII. Hanc quoque Ecclesiæ notam probat Augustinus Epist. 118. *Sacramentis numero paucissimis, observatu facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus: communicatio corporis & sanguinis ipsius.*

XXXIII. Cæterùm duabus illis & neque pluribus neque paucioribus notis unicè competere *ωραὶ ἡμῶν* notarum infallibilium tam certum est, quàm quod certissimum. Quandoquidem verbi puritatem Ecclesiæ esse proprium bonum nemo dubitabit, qui rectè perpenderit illud Apostoli, 1. Timoth. 3. v. 15. *Ecclesiam Dei* (nempe veram, de qua loquitur) *columnam & firmamentum veritatis esse: quod item Christus pro illa rogaverit Patrem cœlestem, ut sanctificaret eam in veritate, hoc est,*  
in



in sermone & verbo suo : cujus sanè depravatio veritas dici nequit, neque de ea quit prædicari, quod sit sermo sive verbum Dei, Joh. 17. v. 17. Sacramentorum usum legitimum quod spectat, est ille puritati verbi planè *ἁπλῆ* : ac propterea eadem ejus, quæ puritatis doctrinæ, est conditio.

XXXIV. Deinde quoque duæ hæ notæ veram Christi Ecclesiam liquidissimè separant & distinguunt, tum ab Ecclesia malignantium, tum à quibusvis aliis cætibus : quod quia per se manifestissimum est, probatione non eger.

XXXV. Sunt etiam hæ notæ planè adæquatæ & inseparabiles è vera Dei Ecclesia. Nam licet distinguendum sit inter Ecclesiam veram & inter doctrinæ puritatem legitimumq; Sacramentorum usum, uti etiam omninò aliud esse debeat nota, & aliud id cujus est nota, vel quod ea notatur : sunt tamen invicem prorsus consuetaria, ut, ubi est Ecclesia, ibi sit puritas doctrinæ cœlestis & legitimus Sacramentorum usus : Et contra, ubi est puritas doctrinæ & Sacramentorum usus legitimus, ibi utique sit vera Christi Ecclesia, proindeque sunt hæ notæ certissimæ ac verissimæ.

XXXVI. Matth. 28. v. 19. & Marc. 16. v. 15. collectio Ecclesiæ Catholicæ committitur Apostolis, & doctrinæ Evangelii adjungitur baptismus, de quo Joh. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu*, & in Matthæo additur *docete eos servare omnia, quæ præcepi vobis*. Dixerat autem de sacra cœna : *hoc facite in mei commemorationem*, Luc. 22. v. 19. idque voluit fieri donec veniat ad judicium, 1. Cor. 11. v. 26. Ergo juxta manifesta hæc scripturæ testimonia propagatio & conservatio Ecclesiæ non erunt sine verbo & Sacramentis : ideoque notas ejus in hac terra cognoscendæ præbent.

XXXVII. Harum lucem, veritatem, proprietatem ac certitudinem nihil quicquam minuit insolens hæreticorum, easdem suis cætibus vendicantium, gloriatio. Non enim ex agrorum somniis aut temulentorum opinione ; sed ex rei veritate de veris notis verè est judicandum.

XXXVIII. Veritas hæc ex communibus principiis est



arcessenda. Est autem sola sacra Scriptura Christianorum principium *κεινόμενον*, neque Christiani nomine dignus est, qui ejus defugit autoritatem: imò neque dubitandum est de principio, ex quo definiendæ sunt controversiæ.

XXXIX. Quare cum inter Christianos non volvatur quæstio, quæ qualisque sit Scriptura, quam modis omnibus divinam esse omnes fatemur: sed quæ qualisque sit Ecclesia, necesse utique omninò est, problema istud per hoc principium demonstrari: quippe quod instar tesseræ aut vexilli est, ex quo agnoscuntur milites. Quicumque cætus præfert hoc signum, Christi auspiciis pugnare intelligitur. Ex vexillo legionem, non contra ex legione vexillum cognoscitur.

XL. Pontificii quidem non obscure innuunt, se malle scripturæ everti autoritatem à fundamentis suis, quam permittere aut pati, ut quæstio de Ecclesia & ejus veris ac propriis notis ex Scriptura definiatur: neque obscura est nota hæc Spiritus illius tenebrarum, quo lucifugæ isti impelluntur & agitantur.

XLI. Veritas nihilominus & summa nostræ sententiæ necessitas vel ipsius Bellarmini testimonio confirmatur. Is enim ad dicta Augustini, quibus Ecclesiam ex sacra Scriptura demonstrandam esse affirmat, respondere cogitur, *Scripturam docere, quæ sint notæ Ecclesiæ*: de notis Ecclesiæ cap. i. §. Ad loca Augustini. Unde non minùs evidenter, quàm necessariò conficitur; Scripturam non tantum notam esse Ecclesiæ, sed omnium quoque notarum præcipuam esse ac primariam: siquidem ex ipsa & per ipsam reliquæ ejus notæ noscitantur.

XLII. Nunc porro explicari & intelligi debet, quatenus doctrinæ puritas & legitimus Sacramentorum usus *κενόμενα* veræ Ecclesiæ judicanda sint. Ubi tria exponenda sunt. Primum fuisse constat omnibus omninò temporibus aliqua Ecclesiarum particularium rudimenta, propter quæ tamen veritatis laus Ecclesiis illis abrogari minimè queat. Cum enim tres in mundo viverent homines, Adam & Eva, post lapsum in paradiso ab ipso Deo de Evangelio edocti Ecclesiæ sanctæ  
primi-



primitiæ extitissent, Eva Cainum pro Messia habet, hoc est, pro eo, qui imus angularis lapis est fundamenti. Inquit enim enixa illum: *Accepi virum Dominum*. Quis ipsam sine errore fuisse iudicabit, quando nudus homo pro Deo & sic Pseudo-Christus constituitur? Evam tamen membrum Ecclesiæ veræ fuisse inde demonstratur, quod Dominus serpenti, hoc est, Satanæ, dixerat: *Ponam inimicitiam inter te & mulierem*. Quod si ergo inimicitia posita erat Satanæ, amicitia Deo asserta fuerat & posita erat illa inimicitia divinitus. Erat ergo mulier membrum factum veræ Ecclesiæ juxta Dei propositum. Cum ergo in hac primitiva Ecclesia, quam duo homines Catholicam effecerunt, error de Messia obtinere potuerit, Ecclesiâ non abolitâ, quæ ista erit justa severitatis nostræ ratio, simile non permittentis, ut cum tale quid ingruat, vera Ecclesia constet.

XLIII. Christus discipulos appellavit fratres, itaque membra veræ Ecclesiæ agnovit & prædicavit: qui tamen erroribus, in datum fundamentum impingentibus, non caruerunt. Regnum enim Christi mundanum somniabant, & fovebant hanc opinionem usque ad Christi mortem, quâ interveniente, spe suâ se frustratos opinabantur, quemadmodum viatores Emauntici communem Ecclesiæ istius temporis opinionem produunt, Luc. 24. Et grex ipse Ecclesiæ primitivus, in familia Christi constitutus, redivivum ex mortuis Christum credere aliquandiu non potuit. Et verò non patitur veritas Ecclesiæ veræ laude spoliare maximè cætum hunc Apostolicum, de quo certum est, si uspiam fuit Ecclesia vera, fuisse eam de ipsius Christi familia.

XLIV. Et quod stupendum est, Petrus etiam visibiliter perusus Spiritu sancto, cultus legis necessarios & vocationem incircumcisorum immundam imaginabatur, Actor. 10. Quamvis etiam tum cœlitus de errore monitus esset, omnem tamen non omisit, quemadmodum ad Gal. 2. legimus, eum propterea reprehensum à Paulo, cujus sententia gravissima hæc est, Petrum non incessisse recto pede ad veritatem Evangelii,



galii, quod gentes coegerit Judaizare. Etsi autem ex eo, quod textus mentionem habet simulationis, rectè colligitur, quod rectius Petrus senserit, quàm docuerit, vel locutus fuerit, ideoque mente cum Paulo consenserit: excusari tamen non potest, quod contra mentem & scientiam proposuit doctrinam & coactionem observandi eam addiderit.

XLV. Sic multa alia exempla, ex historia Ecclesiastica post tempora Apostolorum annotata, attexere possem. Carthaginensis Ecclesia, suatore Cypriano, ab hæreticis baptisatos, cum ad orthodoxos reverterentur, rebaptisandos censuit. Affricana Ecclesia, approbante Augustino, infantibus cœnam Dominicam exhibuit: & ipsam Romanam Ecclesiam olim credidisse, Eucharistiam parvulis necessariam esse, colligitur ex Epist. 93. August. tom. 2. pag. 424. A. Omnino quoque existimo, Ambrosium verum Ecclesiæ membrum fuisse: Qui tamen de Jejunio Quadragesimæ inquit: *Cætera jejunia sunt voluntatis, hoc necessitatis est.* Hæc sane opinio est stipula doctrinæ fidei addita. Basilius addit Monasticen tanquam stipulas: & laudat hoc genus vitæ immodicis & falsis præconiis. Non autem leve peccatum esse, novos instituere cultus scriptura sæpius monet & satis indicat hæc una sententia: *Frustra colunt me mandatis hominum.* Grave est peccatum contra primum præceptum, cultus à Deo non mandatos instituere & approbare: quippe quod cum prohibet alienos Deos, etiam cultus alienos prohibet. Cyprianus urget pœnas Canonicas, quarum tunc usus erat, confirmatque opiniones, quasi sint necessariae & propter eas remittantur peccata. *Interdum, ait, absolutionem sine illis inutilem esse.* Haud dubiè commodiùs sensit, quam locutus est. Iterum errores illi leves non sunt, sed admodùm densæ stipulæ, obscurantes puram doctrinam de Christi beneficiis & fide.

XLVI. Sæpius quoque Patres primitivæ Ecclesiæ commodiùs senserunt, quàm in suis scriptis loquuntur. Fuerunt enim interdum in docendo negligentes & improprii, proindeque



deque multas sententias & loquendi formulas, quæ sine errore non sunt, à vulgo (ut fieri solet omnibus ætatibus) mutantur. Ut nomen satisfactionum à vulgo sumit Augustinus, etsi errores de satisfactionibus palam reprehendit. Torquet se in sententia interpretanda, *Omne peccatum est voluntarium*, ubi de peccato originis disputat, cum tamen sententia sit civile dictum, de externis delictis traditum: Sic cœnam Domini vocat more populi oblationem: cum non sit instituta oblatio, sed Christus ipse fuerit Sacerdos, suum offerens sacrificium. Ac ne fiebat quidem olim in ceremonia & administratione cœnæ oblatio corporis & sanguinis, sed ante consecrationem offerebantur panes & aliæ res, & Sacerdos dicebat, se offerre preces, gratiarum actionem & totum cultum, qui ibi fieri solet. Etsi igitur oblatio non uno modo fuit accepta; tamen postea nomen detortum est ad oblationem corporis, unde secuti sunt ingentes abusus: qui hodieque vigent in Papatu.

XLVII. Deinde etsi in Scripturis sacris nihil est, quod non sit cum usu salutis conjunctum maximo: constat tamen rursus inter ea, quæ nobis ibidem proponuntur credenda, esse discrimen haud leviculum. Quorundam ignoratio, salvo Religiosis Christianæ fundamento, locum habere, aut de iisdem controverti potest. Quædam ita sunt comparata, ut negari aut controverti nequaquam possint, quin statim fundamentum ipsum fidei Christianæ corruat. Quocirca inter ea, quæ fundamentalia sunt, ipsumque Religionis Christianæ caput concernunt, atque inter ea, quæ momenti sunt minoris, probè est discernendum.

XLIX. Tandem Ecclesiæ neque universalis, neque partialis fides atque nota metienda est ex illis, quæ privati quique aut singula Ecclesiæ membra docent, tradunt atque sentiunt: Sed ex doctrina illa, quæ in Ecclesia communiter recepta est, veritas aut falsitas Ecclesiæ est judicanda & æstimanda. Corinthi erant, qui resurrectionem carnis negabant.



bant. In Galatiis Ecclesiis, qui Circumcisionis & aliorum rituum necessarium esse usum statuebant: Ecclesias tamen ipsas Christi interim appellare Ecclesias, Apostolus non dubitat,

XLIX. Cæterum diximus nonnullos addere tertiam notam Ecclesiæ nempe *disciplinam Ecclesiasticam* sive *obedientiam ministerio debitam* in his, quæ ad ministerium propriè pertinent, eamque ad primam quidem referri posse: placet tamen de illa seorsim pauca attingere.

L. Est vero nota hæc externa consequens internorum affectuum Verbi & Sacramentorum, cujus etiam gratia prioribus additur. Ad notam hanc & obedientiam referri possunt hæc scripturæ dicta, Matth. 28. v. 19. *Docete eos servare omnia, quæ præcepi vobis*, Matth. 3. v. 8. *Facite fructum pœnitentia dignum*, Matth. 12. v. 33. *Aut facite arborem bonam & fructum ejus bonum, ut facite arborem putrem & fructum ejus putrem. Nam è fructu arbor cognoscitur*, Joh. 13. v. 34. *Mandatum novum do vobis: ut alii alios diligatis, sicut inquam dilexi vos, ut & diligatis alii alios*. Hebr. 13. v. 17. *Obedite iis, qui præsum vobis & obsecundate &c.*

LI. Est autem limitanda hæc obedientia, ne Pontificiorum similis sit, qui sunt mancipia Papæ, civilem & Ecclesiasticam potestatem confundentis, sibi que licentiam sumentis, præcipiendi, non quod verbum DEI præscribat, sed quod in vanissimi sui pectoris scrinio & contra verbum DEI natum & prophanæ libidinis suæ placitum fuerit. Quocirca in nostris Ecclesiis disciplinæ huic semper præluceat verbum DEI, juxta illud Davidis, Psalm. 119. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.*

LII. Cum etiam plane ἀναυδάτη, ne ullus in vita & moribus nævus deprehendatur, in Ecclesia militante sub vexillo Christi in hac terra nemo detur: sed pro remissione peccatorum orare cogatur omnis sanctus, Psal. 32. non nota & obedientia illa de perfectione est accipienda: sed ubi est studium regendi mores ad legem, quæ norma est voluntatis  
divi-



divinæ, idque fit vera fide in Filium DEI; ibi character est veræ Ecclesiæ, id quod quisque in seipso probans, etsi cum peccatis conflictetur, & subinde, quemadmodum Paulus, quod nolit, faciat, continuatâ pœnitentiâ non desinit esse membrum Ecclesiæ.

LIII. Enormia verò peccata, quæ Apostolus vocat mortalia sive regnantia, quæ vivis membris non competunt, adeoque Spiritum sanctum excuriunt, vitanda sunt, & opera danda est, ne ubi caro Spiritui repugnat, quod nunquam non fiet in hac vita, nos illam dominari sinamus, quemadmodum illi faciunt, qui & irascuntur justis doctorum increpationibus, & illis maledicunt, & emendationem omnem malitiosè respuunt.

LIV. Tales autem sciant, quod seipso ex Ecclesia excludant, & quamvis pastor cesset uti clave ligante, externa excommunicatione, multi tamen solis ministrorum comminationibus, DEO executionem præstante, ejiciantur extra vineam: neque tamen, si modo sonet pura Evangelii vox & Sacramentorum legitimus usus non cesset, etiam atrocissima scelera, consuetudine multitudinis indurata, Ecclesiam ejus loci planè tollunt. Tametsi enim, qui talia perpetrant, neq; respiscunt, non sunt vera Ecclesiæ membra, nihilominus in cœtu illo Ecclesiam statui oportet, ubi verbum DEI docetur & Sacramenta recte administrantur: neque potest omninò deesse disciplina, ubi verbum non perit: quippe cujus gladio illa urgetur fortissimè, imò etiam ingruente extrema scelerum licentia, ut multitudo dominans Spiritus reprehensionem ferre nolit, uti factum est temporibus Nohæ, Genes. 6. critque in fine mundi, Matth. 24. Divinâ tamen voce adhuc durante, etiam in domesticis & privatis angulis durare Ecclesiam credendum est: cum verbum DEI nunquam redeat inane ad Dominum suum, Esa. 55.

L V. Caterum non etiam cum Dn. D. Balthaf. Menzero repugnabimus, si quis notis Ecclesiæ adjunxerit persecutiones & omnis generis calamitates, quas patitur ab impiis, quæque sub nomine cræcis comprehendi solent, ut crux vexillum Ecclesiæ  
recte



recte statuatur. De qua scitè dixit Hieronymus: *Christus neminem occidit, sed occisus fuit; nemini lapas dedit, sed accepit. Ergo qui occiditur, Christum imitatur: qui occidit, AntiChristum.* Et noti sunt versiculi:

*Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine capit,  
Sanguine succrevit, sanguine finis erit.*

LVI. Constat ergo ex dictis, confessores olim & nos cum ipsis Ecclesiam neque cum Pelagianis & Anabaptistis ἀναπαρθένων seu perfectorum multitudinē, neque cum Wiclefo tantum prædestinatorum congregationē, nec cum Novatianis, Catharis & Donatistis hominum nunquam lapsorum cætum, vel cum Pontificiis membrorum in unum visibile caput in terris compagem: Sed ex Scripturis, in quibus, ut affirmat Augustinus Epist. 166. didicimus Christum, in quibus didicimus Ecclesiam, rectè definiendam esse cætum amplectentium Evangelium & rectè utentium Sacramentis, in quo per ministerium Ecclesiæ DEUS est efficax, multosque regenerat ad vitam æternam, etsi in eo cætu multi sunt non renati, de doctrina tamen consentientes. Hactenus de tertio hujus Articuli membro.

LVII. Sequitur quartum & ultimum, quo quæritur, quam rituum in Ecclesia & ceremoniarum sit ratio: & proponitur illud in Confessione his ipsis, & quidem ultimis verbis: *Nec necesse est ubiq; esse similes traditiones humanas, seu ritus aut ceremonias, ab hominibus institutas. Sicut inquit Paulus: Una fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium, &c.*

LVIII. Quæ sanè verba directè Pontificiorum errori sunt opposita, collocantium in conformitate rituum externorum iudicii notam; qua veritas Ecclesiæ dignoscenda atque dijudicanda sit, adeò ut falsitatis illicò ream agant, in qua ceremoniarum dissonantia conspicitur: sibi imaginantes, unitatem Ecclesiæ ista rituum consonantia metiendam esse, proindeque unitate & conformitate hac labante, unitatem statim & veritatem Ecclesiæ collabascere.

LIX. Quia



LIX. Quia ergo viderunt Pontificii, verba hæc isti sententia contradicere, cum διὰ Θεοτικῶς docentia, non esse necessesse, ubique esse similes sive easdem traditiones humanas sive ritus aut ceremonias ab hominibus institutas: tum κατὰ Θεοτικῶς, addentia, satis esse ad unitatem Ecclesie, consentire de doctrina Evangelii & administratione Sacramentorum: quia, inquam, optimè isthæc intellexerunt Pontificii; gravissimis hanc partem Articuli petiverunt infestationibus, atque de sententia sua obtinenda acriter laborarunt. Sed frustra. Id quod conclusionibus & hypothesisibus his, quæ adduci certissimæ posunt, satis est manifestum.

LX. Prima est: Primitiva Ecclesia ad unitatem Ecclesie sufficere arbitrata est unitatem fidei, quam cor & animam universæ Ecclesie, in toto orbe dispersæ dixit & commendavit, nulla prorsus habita rituum externorum ratione. Sic enī Irenæus adversus Hæreses lib. i. cap. 3. τὸ τὸ κήρυγμα παρεληφθα, καὶ ταύτην τὴν πίσιν, ὡς παρεφάρμ, ἡ ἐκκλησία, καὶ πρὸς ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη ὑπὸ μελῶς φυλάσσει ὡς ἓνα οἶκον οἰκῆσαι. Καὶ ὁμοίως περὶ τούτοις, ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει καὶ διδάσκει καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἐν σώμα κεκτημένη. καὶ γὰρ αἱ καὶ τὸν κόσμον ἀγαλλεῖται ἀνόμοιαι, ἀλλ' ἡ δύναμις τῆς παραδόσεως μία καὶ ἡ αὐτὴ. καὶ ἔτε αἱ ἐν γερμανίας ἰδρύματα ἐκκλησία ἀλλοῦ πεπιστεύκασιν, ἀλλοῦ παραδιδόασιν, ἔτε ἐν ταῖς ἰβηρίαις, ἔτε ἐν κελτοῖς, ἔτε καὶ τὰς ἀνατολάς, ἔτε ἐν αἰγύπτῳ, ἔτε ἐν λιβύῃ, ἔτε αἱ καὶ μέσα τῷ κόσμῳ ἰδρύματα, ἀλλ' ὡσπερ ὁ ἥλιος τὸ κλίσμα τῷ θεῷ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, εἰς καὶ ὁ αὐτὸς, ἔτω καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας πανταχῆ φαίνει, καὶ φωτίζει πάντας ἀνθρώπους τὸς βελομένους εἰς ἀπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. Id est. Hanc igitur predicationem & hanc fidem, ut præfati sumus, adeptæ Ecclesia, quamvis dispersa in universo mundo, diligenter conservat, ac si in una eademq; domo habitaret: ac similiter illis fidem habet, ac si unam animam, unumq; & idem cor haberet: atq; uno consensu hæc prædicat, docet, ac tradit, ac si uno ore prædita esset. Quamvis enim



enim dissimilia sint in mundo genera linguarum, una tamen eademq<sup>3</sup> est vis traditionis. Nec quæ constitutæ sunt in Germania, Ecclesiæ aliter credunt aut tradunt, nec quæ in Hispaniis, neque in Galliis, neq<sup>3</sup> in Oriente, neq<sup>3</sup> in Ægypto, neq<sup>3</sup> in Libya aut in medio orbis terrarum fundatæ sunt. Sed quemadmodum Sol creatura DEI, unus & idem est in universo mundo, ita & prædicatio veritatis ubiq<sup>3</sup> lucet & illuminat omnes homines, qui ad notitiã veritatis venire volunt.

LXI. Secunda: Illa rituum externorum conformitas & similitudo in Ecclesiâ planè est impossibilis. Ratio est manifesta. 1. Quia ritus externi ex arbitrii humani iudicio suam trahunt originem: id verò in diversis hominibus non idem, sed potius diversissimum esse quis ignorat? 2. Quia ritus illi pendent à circumstantiis, objectisque & subjectis temporum & personarum: quæ subinde mutantur, sicque semper causæ variant, neque ubique qualitates rituum externorum æquipollere possunt, adeò ut etiam Ecclesiâ in consuetudinibus externis multa sæpius tolerare cogatur. Unde Augustinus. Epist. 119. cap. 19. scribit: *Ecclesiâ DEI, inter multam paleam, multaq<sup>3</sup> zizania constituta, multa tolerat & tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.* Hæc ergo impossibilem planè rituum Ecclesiasticorum similitudinem efficiunt.

LXII. Tertia est: Minimè omnium illa rituum similitudo necessaria est iudicanda. Quod enim impossibile est, quomodo erit necessarium, ut fiat? Adde quod sint traditiones humanæ: quæ cultus necessarii ad iustitiam & salutem coram DEO nequaquam censendæ sunt. Ex quo rectè & apodicticè inferitur, posse fideles & filios DEI esse, etiam quibus in rituum externorum observatione non per omnia convenit. Antecedens immotæ est veritatis: quippe nititur manifestis scripturæ testimoniis: Nam Coloss. 2. v. 17. omnia ista externa vocantur umbratilia. Et ibid. v. 20. nos cum Christo ab Elementis mundi mortuos esse, asserit. Rom. 14. v. 17.



14. v. 17. dicitur: Regnum DEI non esse cibum & potum (quibus verò speciebus omne rerum externarum genus simul comprehenditur) sed iustitia, gaudium & pax in Spiritu sancto.

LXIII. Quarta: Consonantia illa rituum est inutilis. Idque tum propter periculum servitutis novæ, quam Ecclesia Christiana cum Judaico populo communem esset subitura, si externorum rituum conformitate constringenda esset: tum etiam pericula scandalorum, quæ & frequentissima & nocentissima consequi necesse est, si similis in Ecclesia rituum observatio putaretur necessaria.

LXIV. Quinta: Nullum jam inde à temporibus usque Apostolorum dari potest tempus, quo communis Ecclesiæ in ritibus externis intercesserit conformitas. Ratio sumitur ex præcedentibus: quod enim simpliciter impossibile est; illud aliquo tempore non potuit fieri possibile: quod nullo modo est necessarium; id neque ullo tempore necessarii rationem potuit acquirere: quod nunquam fuit utile; id neque ut utile aliquando asseri & probari potuit. Adde, quod hypothesin hanc Ecclesiastici Scriptores unanimiter testentur & confirmant: quippe quibus universis fere plurimum hac ipsa controversia facessitum fuit negotii, ut rituum varietate stabilitâ, Judaismum exolevisse & nihil jam esse veritati cultus divini cum externarum rerum necessitate ostenderent. Augustinus Epist. 87. tom. 2. pag. 388. B. scribit, *interminabilem esse istam contentionem (nempe de diversitate externorum rituum in diversis Ecclesiis) generantem literas, non finientem questiones.* Et addit: *Sit ergo una fides universæ, quæ ubiq; dilatatur, Ecclesiæ, tanquam ritus in membris, etiam si ipsa fidei unitas quibusdam diversis observationibus celebretur, quibus nullo modo, quod in fide verum est, impeditur.*

LXV. Sexta & ultima: Si nulla omnibus seculis fuit Ecclesia, quæ Rituum conformitate parum gloriari potuit, sane ipsa



ne ipsa Romana fuit. Testantur hoc ordines monastici, infinito pene rituum proventu constituti: testantur Conciliorum & Synodorum frequentissima decreta atque Canones propemodum innumeri. Nec est, quod hinc distinguant Pontificii inter ritus speciales & universales: cum observationes suas & statuta omnia cultus Divini esse propria comminiscantur: quæ verò sunt talia, ad communem observationem omnino pertinent. Imo neque illas ipsas, quas ipsi universales traditiones appellitant, ubique pariter retinent: quod vel uno illo diversitatis exemplo comper- tum evadit: quo Romana Gregoriano, Mediolanensis Am- brosiano more Missam in hunc usque diem celebrare cernitur.

**FINIS.**





Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

DESIGNATIONE HOMI-

FINIS

JACOBO FINISS Th.

Doct. & Prof. in Collegio, Facult. Theol.

JOHANNES COSSONIO Pharm. Hollat.

In Auditorio Collegii Virginis

In Hildesheimi Typographia...





COLLECTIO  
In Augustanum Contestationem  
Dissertatio I. V.

ÆTÆRNIÆ P. R. E.  
DESTINATIONE HOMI  
num in iudicium ad suam salutem  
et perditionem.

In Electorali Academiâ Viceburgensi  
P. R. E. S. I. D. E.  
JACOBO MARTINI S. S. T. I. H.  
Doct. & Profr. Publ. Primario & Acad. Nicol.  
Senior. ac Reg. Acad. Paphosio.

JOHANNES COZZENIO Ferraris, Hollæro.  
in Aduersarijâ Gœtting. editæ.

Typis Johannis Zambertii & A. G. N. A. C. H. A. C. H. A. C. H. A. C. H.  
Anno M. DC. LXX.





99 A 6900

ULB Halle 3  
002 622 092




SB

Repro


VD 77











Farbkarte #13

B.I.G.

46

TERTII  
Confessionem

XIII.

IS  
VLI VII.

ONE ET  
ECCLESIAE,

Vittebergenlis,  
I D E

TINI S.S. Th.

mario, Facult. Theol.  
Arcis Præposito,

ENTE  
RO Prettinensi Sax.

ctorali,  
*legii Veteris*  
unii.

ERGÆ,  
AUERBACH, Acad. Typogr.  
CXXX.

